

AG638

PETRI BERKASII  
Edition

10 ANNIVERSARY

KUAK, KUKA  
2 ft. tetar (volt ket  
kole tetar)

(Ruk 34)  
keanisan

[Sabot Kanyak:  
Ruk at 655]

PETRI BEREXASII  
EPICEDION

EXCELENTE  
DOCTORI IOANNI VI  
TO BALSARATI SCRIPTVM,  
& ad illius tumulum recitatum,  
24. die Aprilis, Anno  
1575.



VITÆ BERGAE

Excedebant Clemens Schleich &  
Antonius Schöne,

ANNO M. D. LXXXVI.

IN EPICEDION  
AD TUMVLVM CLARIS:  
VIRI D. IOHANNIS VITI  
Balsarati recitatum à doctiss. viro  
Petro Berexasio.



Arminibus viuunt heroes; viuit Achilles,  
Carminibus viuax nomen, honorisq; venit.  
Fata nec eripiunt mortalibus omnia, quando  
Corporis hospitium mens pia deseruit.  
Nam licet in terram mors frigida membra resoluat;  
Vnde vetus nostra carnis origo fluit:  
Attamen aeternum doctis cantata Camoenis  
Fama manet, nec mors hanc abolere potest.  
Sic etiam post fata viget laus inclita VITI,  
Quem necis expertem, docte Poëta, facis.  
Fulget & in cunctis longè conspectior oris  
Defletus numeris, culte poëta, tuis.  
Qui bene promeritos laudat, se laudibus effert,  
Quaq; alijs tribuit præmia, primus habet.  
Afficit iste labor mira dulcedine Musas,  
Incundeq; bonos afficit iste labor.  
Ergo tam culto melius celebrare libello  
Nil poterat docti dædala Musa Petri.

A L I V D.

N Ata Berexasy diuino è pectori Musa  
Viue, precor, longum; te certè sidere fausto  
Edidit ille Petrus, patria lux altera nostre  
Edidit, & seclis donauit habere futuris.

PETRI BEREXASII  
EPICEDION

EXCELENTI  
DOCTORI IOANNI VI<sup>TO</sup>  
BALSARATIO SCRIPTVM,  
& ad illius tumulum recitatum,  
24. die Aprilis, Anno  
1575.



VITEBERGAE

Exudebat Clemens Schleich &  
Antonius Schone,

ANNO M. D. LXXVI.

R. M. K. 344.

IN EPICEDION  
AD TVMVLVM CLARIS:  
VIRI D. IOHANNIS VITI  
Balsaratij recitatum à doctiss. viro  
Petro Berexasio.



Arminibus viuunt heroes; viuit Achilles,  
Carminibus viuax nomen, honosq; venit.  
Fata nec eripiunt mortalibus omnia, quando  
Corporis hospitium mens pia deseruit.  
Nam licet in terram mors frigida membra resoluat;  
Vnde vetus nostra carnis origo fluit;  
Attamen eternum doctis cantata Camænis  
Fama manet, nec mors hanc abolere potest.  
Sic etiam post fata viget laus inclita VITI,  
Quem necis expertem, docte Poëta, facis.  
Fulget & in cunctis longè conspectior oris  
Defletus numeris, culte poëta, tuis.  
Qui benè promeritos laudat, se laudibus effert,  
Quaq; alijs tribuit præmia, primus habet.  
Afficit iste labor mira dulcedine Musas,  
Incundeq; bonos afficit iste labor.  
Ergo tam culto melius celebrare libello  
Nil poterat docti dædala Musa Petri.

A L I V D.

N Ata Berexasij diuino è pectore Atusa  
Viue, precor, longum; te certè sidere fausto  
Edidit ille Petrus, patriæ lux altera nostre  
Edidit, & seclis donauit habere futuris.

In te, certa fides, Superi sua munera largè  
Fuderunt; facilem Cyllenius ipse leporem,  
Splendorem Phœbus, charites Ericyna disertas  
Affudit: Tibi vis, tibi blanda potentia mentes  
In lacrymas duxisse pias: ut funere sancti  
In mæsto VITI, pietas quem reddidit astris,  
Soluisti in quantos mortalia corda dolores?  
Omnia cùm luctu resonarent, Phœbus & ille  
Cùm gemitus, lato vix se retineret & alueō  
Bodrogus aquoreis complexibus omnia replens  
Dum raptum terris, cœlestibus additum & astris,  
Insignem meritis, clarum pietate requirit  
Assidue, decoriq; suo deplorat ademtum  
Doctorem, cuius pars cœlo debita lustrat  
Sidera; pars gelida tellure creata, quiescit  
In gremio terre: toto sed nomen in orbe  
Immortale viget, reparant quia funera vitam,  
Funera tam sancte numeris celebrata disertis  
FABRICIJ, & docta PETRI defleta camæna,  
Cui non luor iners, tineaq; situsq; nocebunt;  
Sed que luce nitens seros durabit in annos,  
Autorisq; sui famam super aethera condet.

Macte nouis scriptis, doctissime PETRE, tuaq;  
Doctrine, ingenijq; decus transcribere cœlo,  
Et patriam Aonij spolijs ditare ruentem  
Perge; tuis ceptis bonus aspirabit Apollo,  
Propositumq; pium semper sors prouehet aqua.

Ge. Cæsar Cass.

ALIVD

## A L I V D.

NVlla licet toto virtus tam splendida mundo  
Emicet, aut famæ gloria vera bona,  
Quam non pestifero Momus suspendere naso  
Tentet, & insignes mordeat ore viros:  
Non tamen in scriptis quod carpat repperit istis  
Quelis celebras VITVM Petre diserte patrem  
Pro meritis potius, cupiet si grata vocari,  
Stirps ventura tuis præmia digna dabit.  
Vero etenim vita genus, & res carmine gestas  
Complexus, clari & fata suprema viri,  
Ordine perpetuis mandasti singula chartis,  
Ut nosci à sera posteritate queant.  
Quasi mendaci luor connellere lingua  
Non metuat, probris excipiatur suis,  
Mox à veridicis conuictus testibus ibit  
In Phlegethonias precipitatus aquas.

Mattias Szegedinus.




A, ALIVD

## ALIVD.

**A**onidum PETRVS celeberrima fama sororum  
Bergzasius, patrie decus & lux splendida gentis,  
Carmina in exequias & magni funus honoris  
Iure dedit, raras VITI testantia dotes,  
Muneraq; ingenij viuas reuocantia in auras  
Splendida, & eximios magna virtutis honores;  
His etenim VITVS placido iam funere raptus  
Viuit, & in cineres lustris abeuntibus atas  
Non famam celebrem mors ultima meta laborum  
Vertet, non cedit generosa scientia morti:  
Nec minuet Lachesis præclaræ laudis honores.

Ergo Bergzasius VITI post fata cubantis  
Dum laudes referens mærentia carmina fundit,  
Plangit & extinctum Musis Heliconis alumnis,  
Restituit VITO placido iam funere ademto  
Vitam, quo nomen peperit famamq; perennem.

Andreas Tarnoczi.



ILLV-



ILLVSTRIAC GEN-  
ROSO VIRO D. FRANCISCO  
SVLYOCH, PATRONO SVO PLV-  
RIMVM COLENDΟ,

PETRVS BEREXASIVS S. D.



EGAT ANGELVS APVD MO-  
sen, ad inflammandam sulphureo igne Sodo-  
mam missus, tantisper se id perficere posse, quod  
a Domino in mandatis habeat, quoad Lothus,  
qui præ formidinis vehementia vix tum mentis  
erat suæ, ex conseleratæ terræ finibus cuncte-  
tur excedere. Cuius quidem rei in promtu ratio mediocriter at-  
tentis est. Habet enim hoc quoque Deus, qui iustè misericors &  
misericorditer iustus est, in consuetudine, ut vel summè blasphem-  
os & extrema cæcitate percussos hostes suos durare in hac vita  
aliquandiu patiatur, illa maximè de caussa, ut ne reprobatorum  
internecio iisdem etiam sanctos implicit inuoluatq; poenis;  
Cum hi necessariò illorum turbæ, similiter atque pauculæ oues,  
amplo gregi obscoenissimorum & rabiosissimorum suum, admisti-  
sse videantur. Vnde illud etiam quod ad alteram diuersamq;  
partem attinet, sit perspicuum, quoties sanctos è medio impiorum  
idem Dominus emouet, non ita longinquum esse eorum, quos ille  
iusto suo iudicio reiecit, exitium: Cum alicubi se propter Israelem  
suum, hoc est Ecclesiam, profanos etiam homines, & iniusta alioqui  
imperia tolerare dicat. Huic sententiæ illa etiam consentanea sunt,  
qua Propheta Deum loquentem ad populum sibi proprium fa-  
cit. Iubentur enim sancti monumenta intrare, seceps ibi, usque eō  
dum indignatio Dei transeat, perinde ut in secretis quibusdam  
conclauibus abstrudere, ne superuentu iræ & poenarum simul cum  
impis opprimantur. Hoc verò quod dicimus, cum de om-  
nibus sit verum, qui a Deo electi ad salutem ab omni æterni-  
tate

tate sunt , tum de ijs est verissimum , qui præterquam quod illam prærogatiuam Dei filiorum habent , huc etiam vocati sunt diuinis , vt coelestem doctrinam voce Euangeli prædicanda homini bus instillent , viamq; certissimam illos doceant animarum salutis . Tametsi autem hoc ægrè splendor mundi huius sibi patitur persuaderi , illos hominum omnium miserrimos , & qui vel suo ipsorum iudicio quisquiliæ quædam ac purgamenta sunt generis humani , apud Deum eo numero ac honore esse , vt horum gratia ille , regna populorum imperiosissimorum , & principum illustrium , & constituant & diuturna esse velit : Tamen id nos non diuinarum modo literarum testimonio docti , verùm etiam experientia temporum nostrorum conuicti dubitare desinamus . Quid est enim quod dubitare possimus , florentissimum Pannoniæ regnum à Turcica immanitate annos ab hinc amplius CXXXI : ceptum oppugnari , non alia potissimum de causa tertiis fuisse diuinitus conservatum , ne à stirpe interiret ; nisi quia hospitia in illo erant yrae Ecclesiæ ? Semper enim certè hæc gens iam inde à primo conuerisionis tempore , habuit non parum multos , qui ab religione & pietate commendarentur : habetq; etiamnum plures verè sanctos , qui voluntati Dei in verbo reuelato expressæ ita adhærescant , vt illius laude æterna & salute animarum suarum omnia posteriora ducant , dentq; palam , sese ad vitam & beatam illam immortalitatem esse electos , documenta maxima . Quibus quidem ita prouidet Deus vt subinde excitet summos quosdam viros naturæ præstantia , magnanimitate , ingenio , sapientia excellentes , ac Spiritu sancto circundatos , qui ad sacrosanctum gregem istum excubent , ne quis de ijs , quorum in Libro Dei à Scriptura celebrato , consignata nomina sunt , perire possit . Hanc quoad rationem obtinebit Deus , illud etiam atque etiam nobis persuadere debeamus paterna nos non hostili manu illius castigari ; ac frustra hostibus nostris sese in nobis exterminandis fatigantibus , duraturas esse in omne æuum aliquas nostri generis reliquias : Mansurumq; benedictum illud semen , quod nos prohibitum sit , quominus reddamur tanquam Sodoma , vt Esaïas ait , & quominus pro Gomorrahis reputemur . Sed quorsum de hoc tam multa ? Horum vero : vt quemadmodum Ecclesiæ durationem in gente nostra , dis-

stra , diuini fauoris indicium euidens esse censemus , Ita simul docemus , quid in contrariam partem de ecclesiarum nostrarum statu , qui nuper satis infelix atque adeò perditus esse coepit , debeat existimari . Proinde ex his quæ diximus illud emergit : Verendum magnopere esse , ne hoc quidem tempore Deo non satis propitio utramur , quippe qui hoc non toto vertente anno , ceteris nostris optimos quosq; & amplissimos , sublati de medio Clarissimis doctoribus tanta orbitate afficerit , quanta merito in hac paucitate eorum , qui rectè illis demortuis succedere possint , omnes animos non saepeos ac cyclopicos de posteritatis , si quæ futura est , misera condizione , sollicitos habere debeat . Quod cum ita sit , in dubium votari non potest , quin detestabilis haberi debeat eorum ignavia , qui alto quodam & fatali veterno torpentes , nondum attendunt ceterum modi hoc sit , quod ad cæteras grauissimarum ærumnarum acerbitates , in quibus miserè iam dudum hæremus , hoc quoq; poenæ non ita diu accessit , vt quorum ante regio periclitabatur , eorundem nunc etiā laboret religio : nec hostibus iuratæ veritatis , quicq; de pertinacia & asperitate odij in nos sui remittentibus , & è vita excedentibus ijs , quorum præsidio , vigilij , contentione , laboribus , ac etiam oppositu corporum , tuti antè eramus . Quæ quidem securitas , cum in hominibus omnium ordinum magna sit , tum in ijs est maxima , ad quos sollicita istiusmodi rerum cogitatio præter cæteros pertinebat . Qua de re non solum quia perspicua est , verum etiam quia odiosa , nihil attinet multa dici . Nam etsi in hanc sententiam per multa afferrí possent , ac nequaquam querelæ deficerent volentem pro rei grauitate de his deplorare : Tamen & graue est secundum poetam quod doleat cōmemorare diu , & nos alioqui conscij nobis sumus vltro , etiam non excitatam huius rei cogitationem & memoriam ita semper animis nostris sese ingerere , vt nullam partem , neq; diurni , neq; nocturni temporis quietam nobis , & vacuam solitudine relinquit .

Ad D. Ioannem Vitum quod attinet ac consilium nostrum , quod in huius funere bonis omnibus acerbissimo nostra quædam , oratione ligata , scripta ac recitata , in tuo nomine vir illustris ac Generose , apparere , voluimus , non erimus longiores . Nam Clarissimus vir Collega meus , non solum huius genus , vi-

tam, instituta, mores, exitum vitae accurate oratione exposuit, verum etiam consilij sui rationes de hac editione, iustas mea quidem sententia, maximeq; probandas, epistola ad Magnificum D. Patronum nostrum, consanguineum tuum scripta ita est copiosè persecutus, ut nos quidem videamus hac cura liberati, qui cum illo in eadem causa futuri sumus, si qui forte exoriantur, quibus factum hoc nostrum placere non possit. Illud tamen quod rei casput est, non prætermittam dicere, eum mihi virum fuisse videri D. Ioannem Vitum, cui hoc à me licet pertenue, supremum tamen pietatis & obseruantiae officium sine insigni nota animi ingratissimi deesse non potuerit: quippe quem iam olim mei amantissimum habuerim; quo autore & impulsore, hanc qua nunc prædictus sum scholasticam administrationem in me receperim; apud quem dum vixit, frequens summa cum iucunditate conuersationis & multiplici profectu meo fuerim: cui deniq; in extrema vita ἀγωνίᾳ ζομένῳ, & etiam expiranti adstiterim. De seipso autem hoc idem pluribus rationibus ita probat omni laude excellens vir Collega meus, ut qui aliter sentiat, is mihi quidem nihil omnino sentire videatur. Quod si qui erunt insincerore parumq; limato de vera præstantia iudicio, & huic qualicunq; celebrationi inuidrebunt; iñ inuidere etiam virtutibus ac innocentiae huius viri meminerint, æmulariç; huius studium ac diligentiam in communī vilitate iuanda, ac laboriosissimam vitæ rationem, quam idcirco secutus fuit, cum sibi potuisset alioqui consulere quietius, ut quam plurimis esset vsui dum viueret, quod perpetuum est eorum institutum, vt recte Cicero ex Platone cōmemorat in disputationibus Tusculanis, qui optima natura ac generosissima prædicti sunt.

De ipsa vero scriptione mea, cuius genus fateor σχολαστικότερο esse, atque haud scio an etiam νεανικώτερο, sufficiat illud dixisse: Si tum vehementer fuisse conatus, intendere tamen animum scripto alicui, aut diligentiori aut prolixiori conficiendo, nec per operarum multitudinem, nec per temporis angustias me potuisse. Sitq; hoc excusationis instar, cum scitum sit, vt ille ait apud Ciceronem, in tempus conferre caussam, cum plura afferre & meliora, si cupias, non possis. Vteretur alius quispiam fortasse illa etiam ratione: non eguisse ampliore cultu & politura hominis

hominis Vngari carmen: cum alioquin opinio inueterauerit, nihil à nostris nisi rude & impolitum proficiisci solere. Ne itaq; suspicio moueretur quibusdam, aliunde hæc esse, ornamenta, & scrupulosiores exquisitiones missas fieri oportuisse: Quemadmodum L. Lucullum accepimus dicere solitum de suis historijs, se quo facilius probaret illas Romani hominis esse, idcirco barbara quædam & obsoleta de industria inspersisse. Vt cuncti sit, dum tenui aliqua testificatione obseruantiae in tantum virum meæ defungi possum, subire discrimen seuerioris etiam censuræ non verebor. Et si autem nihil mihi arrogo: Tamen non etiam tantum derogo, vt me in ista parte liberalium studiorum planè infantem agnoscam: Cum præsertim mihi sim conscientius, tantum me & temporis & operæ in istiusmodi exercitationibus posuisse, vt si in illis nunc hospitem me esse dictitem, non sit mihi, ne me quidem ipso iudice ignoscendum. Tu pro tua pietate & affectione benigna erga nostras literas, vir illustris ac Generose, rude illud carmen sub tui nominis inscriptione publicatum, & hanc etiam meam qua sum ad te vsus προσφόνησι, in optimam partem accipies: Orabisq; nobiscum vna Filium Dei ad Patris æterni dextram sedentem, vt hæc acerbissima vulnera, quæ hoc luctuosissimo anno imposita Ecclestæ sunt, propitiæ manu persanet: ac damnum quod huius viri morte omnes fecimus, ex illa inexhausta misericordiæ ac bonitatis suæ copia, sarcinat atque compenset, ac tandem aliquando ad iudicandum orbem adsit, faciatq; finem, & prius hunc vniuersitatis mundi & naturæ rerum contextum dissoluat, quæm gentem nostram ex hac satís clara diuinæ veritatis luce ad tristes errorum prodigiorum tenellas & barbaricam profanitatem delabí patiatur. Idem Dominus te quoq; cum omni turbâ magnifice cognitionis tuæ, quæm diutissimè saluum conseruet, omniq; genere donorum ac benedictionis suæ cumulet & exaugeat, A M E N.





## EPICEDION.

A Mnitidos pandente sinus, hyemisq; fugante  
Tempora vere nouo, Borealibus horrida flbris  
Nuper, & incana nunquam viduata pruina  
Mulcenti Zephyro, & propioris numine Phæbi  
Liquitur, ac priscum recipit noua terra vigorem.  
Parturiunt campi, facundaq; semina rerum  
Algenti modo que gremio conclusa tenebat  
Almus ager, calidis se credere solibus audent;  
Et caput in claras tollentia luminis oras  
Purpureis variant distincta coloribus arua.  
Omnia iam vernant, vernant sata lata, suaq;  
Arboribus frondes redeunt, sua gramina ripis.  
Aspice quam festos ostentet mundus honores  
Vndique; quam placi blanda indulgentia cœli  
Rideat, ac resouens stirpesq; hominesq; ferasq;  
Omnibus incuriat tacitum per pectora amorem.  
Nunc etiam tepidas implent concentibus auras  
Arguta volucres, resonant urbesq; nemusq;  
Dulcisonis modulis, quos vel Philomela canoro  
Guttura, vel nati plumas signata crux  
Fundit avis, magni volitare ad culmina tecti  
Sueta, laremq; suum tigno suspendere ab alto;  
Et latæ pecudes persulant pabula lata.  
Sed quid ego coner multas percurrere amœni  
Delicias veris? facies hæc aurea mundi est  
Surca temperies, qualis fuit, omnia quando

Confusa vultum posuere voraginis, & cum  
Distinctis speciem res accepere figaris.  
Cum Patris imperio cæcis lux prima tenebris  
Emicuit, subitaq; animum dulcedine mouit  
Artificis summi; cum sol radiatus Olymbo,  
Fraternaq; micans effulgit Cynthia flamma,  
Et cuncta astrigeris circundedit orbibus aether,  
Lataq; cinxerunt solidatas aquora terras.

Ipse etiam valida qui temperat omnia dextra,  
Aeternasq; potens rerum molitur habenas,  
Vere serenatos vultus diffundit, & alto  
Respectat patulum cælo pacatior orbem.  
Testis vere nouo tellus exemta profundo  
Gurgite, qui rapido vindex latè omnia fluctu  
Merserat, & veteris cursum interceperat aui.  
Testes Niliacis emissi è finibus olim  
Isacide, Pelagiq; ferox redeuntibus vndis  
Obrutus armigera Pharaon cum flore caterue.  
Quin etiam Stygio quæ carcere solueret orbem,  
Et Paradisiæ repararet damna ruine  
Cara Dei soboles, cælo vernante furores  
Tartareos, Erebumq; trucem, Dirasq; minaces  
Perdomuit, clausiq; viam patefecit olympi.  
Nam simul in rigidi porrectus robore trunci,  
Pacauitq; Patrem, & sensu perfunctus amaro est  
Horribilis lethi, strepitus mox omnis Auerni  
Conticuit, fugere metus, fugere dolores,  
Certa quies nobis, & non peritura voluptas,  
Gaudiaq; & niueis redijt pax candida pennis.  
Corporis ille sui rediuiuos victor honores  
Ostendit viuis, claraq; in luce videndum  
Se dedit, inferno positis ex hoste trophaeis.

Iure igitur pulcri per mitia tempora veris  
Floret humus, florent inducti gramine colles,  
Lataq; vernantis reuirescit gratia mundi.

Sela suos casus & tristia fata profusis  
Dum queritur lacrymis, crudeliaq; increpat astra  
Pannonie tellus, renouati munera veris  
Odit, & ingenti miserorum mole laborum  
Pressa gemit, non fronde comas non mollibus herbis,  
Non viridi curat frontem redimire corona.

Scilicet in medij incundo tempore veris  
Sentit Hyperboreas glacies, brumamq; niualem,  
Atraq; cum sonitu torquentes nubila ventos,  
Horrendasq; hiemes, tempestatesq; sonoras  
Perpetitur: Non Cimmeris hac inamænior ora est,  
Cui nunquam rutilante dies apparuit ortu;  
Velcum sub terris longè raperentur ad ipsos  
Antipodas, vel cum supera in regione viarum  
Phæbei tererent iterata volumina currus;  
Seu proprius iuncti astiuos spacioius ignes  
Exigerent, siue Austrini sub cardine cœli  
Ocyus hybernas properarent claudere luces.

Heu miseri quos nunc tellus habet Vngara, ciues,  
Heu miseri ciues ter & amplius; unica nostris  
Deérat adhuc ærumna malis: heu, fortis acerba  
Iam tandem numeros ægri compleuimus omnes.

Nuper honoratis diuûm clarissima donis  
Ora fuit, qua se viridi pater amne Tibiscus  
Voluit, & algentem volucri rapit agmine Samum,  
Quaq; ruinosas conuisens vndique sedes  
Barbaricus latè flauas agit Ister arenas.  
Ac licet haud pridem Rhiphæis edita lustris  
Efferat gens ultra gelidos propulsa triones

Regna tenens quondam; nostri se limine regni  
Intulerat gaudens, scelerataq; fixerat arma:  
Iamq; vel ex imo victricibus eruta flammis  
Fumabant, vel nostrorum popularibus armis  
Strata solo, atque impunè feris calcata iacebant  
Mænia Pannonicum: tamen has solatia pœnas  
Maxima lenibant; aderant qui lumine sacro  
Mærentes animos, & tristibus anxia curis  
Pectora lustrarent; qui suavi pocula gustu  
Nectaris aetherei trepidas hilarantia mentes  
Dividerent; vera qui pignora certa salutis  
Elicerent nobis cælo, Dominumq; potentem  
Terrarum atque Poli, digitis monstrare supinis,  
Exitioq; homines scirent prohibere nefando.

Ah celebres virtute viri, totumq; per orbem  
Eloquij fama & melioris nomine vita  
Cantati, sic pertasi confortia nostra  
Liquistis subito terras? En quantula turba  
De numero superat magno? quis credere posset  
Pannonicæ faciem vera hanc extare figura?  
Quis non Pannoniæ è mundo perijisse, nec usquam  
Terram hanc esse super, modo qua fæcunda virorum  
Ingenijs, fæcunda opibus clarebat, & omni  
Laude vigens animos ingenti æquabat olympos?

Vix quater impletæ deducitur orbita lunæ,  
Hybernos peragens renouatis mensibus orbes,  
Cum misera in patria magna noua funera cladi  
Quatuor aspicimus: Luget te Chrysias ora  
Ante diem nobis properati turbine fati  
Ereptum Thuri, in Solymis exercite chartis:  
Lugemus parili tecum cognomine Paulum  
Artificem dulci connectere carmina filo,

Sydere-

Sydereumq; patrem Musa celebrare canora.  
Nec dum ô vos mæsti lacrymas deterstis amaras  
Amiso Sixoa dedit quem terra, Valente,  
Debrecy, quem magniloqua modo fulmina lingua  
Vibrantem, Superumq; homines pia iussa docentem,  
Arbiter inferni Sathanas exhorruit Orci.

{ His socios iungit cineres en inclitus ille,  
Ille pius sanctusq; pater quem nomine Vitum  
Ah Lachesis poteras in densa nescere turba,  
Vtq; fuit, sic iudicio meliore, putare  
Et vita, & spatijs longæ dignum esse iuventa.  
O vita & longa dignissime Vite iuventa,  
Sicne iaces? tecumq; iacent solatia nostra,  
Nostra iacent tecum lugentibus ocia Musis,  
Carminaj, & solite Superos cantare Camæna?  
Heu dolor: heu nullo damnum reparabile seculo.

O maria, ô terra montesq; & inhospita saxa:  
O tu qui mundi labentia sydera torques  
Arduus, & lato tegis omnia circumflexu:  
Quæ maior manet hac miseros arumna Poëtas?  
Quod fatum? quò decidimus? nunquamne licebit  
Artibus ingenuis ad priscos surgere honores?  
Iamq; intercisa sordebunt munera vena  
Fontis Apollinei, & præsentia numina vatum,  
Aonides linquent Parnassi culmina diu?  
Sic erit: occidimus, nec habet fortuna regressum  
Flebilis. En citharam pinu suspendit ab alta  
Calliope, doctasq; iubet migrare Sorores  
Ad Scythiam, & sauis vexatum Aquilonibus axem,  
Aut quæ senta siti regio, domibusq; negata  
Noctes atq; dies Eoo incenditur astu.

Tu tamen ô cæli regnator summe Deorum,

C

Spe pro-

Spe procul humana famulorum fata tuorum  
Mitior & mentem patrio deuictus amore  
In melius referes, tua dum se commouet ira,  
Flammiferasq; faces dextra quassante coruscant,  
Concutitur tellus, agitataq; vortice sauo  
Feruescunt grauiter nigris vada salsa procellis.  
At simul adductam frontem, rugasq; minaces  
Soluisti, fugiunt ventosi murmuris aure,  
Se q; serenato profert Sol aureus orbi,  
Compositumq; tenent tranquilla silentia pontum.  
Sed nos interea Pater (o ignosce fatenti)  
Mæremus, casusq; egrí miseramur amaros,  
Diffliimus lacrymis: ex quo cari ossa parentis  
Condidimus tumulo, paruamq; sacrauimus vrnam;  
Sexta abyit lustrans renouatis lucibus orbem,  
Puniceis aurora rotis: nunc tristior illis:  
Septima lux rediit, pariter rediere dolores.  
Vtq; solent tenues infusa Pallade flamma  
Crescere, candentiq; alte exultare fauilla:  
Sic dolor infausti admonitu stimulante dies  
Incrementa capit, curaq; immanis acerba.  
Attonitas retinet mentes, sanitq; medullis,  
Aridaq; ossa exest, implacatusq; querelis  
Haud sanis assurgit, & irrita iurgia iactat.  
O columen sacrum, o doctis spes unica Musis.  
Vite pater, quo te memoremus carmine: quo te  
Munere tam digno clarum super astra feramus?  
Te tua iam pietas virtusq; ignara sepulcri  
Venturo meritis sacravit honoribus auo.  
Non tibi priuato radiata munere lucis  
Mortalem vitam mors immortalis ademit:  
Diuinaq; animi dotes generosaq; facta.

Non

Non humilem saxi tecum subiere caueram.  
Parte tui meliore viges, & sanguine parta  
Autoris Christi, tota quem mente colebas,  
Percipis eterna felicia gaudia vita.  
Nos tamen ab miseri, tua quos modo cura fouebas,  
Carmina nostra tibi, cantus, praconia, nullo  
Inferias splendore damus, sletusq; cientes  
Languida percussis variamus pectora palmis.  
Vox tua diuini dulcissima, pabula verbi,  
Sydereas voces, veraq; alimenta salutis  
Proposuit nobis: Nunc ora illa, illa diserta  
Pressa tacent, & cassa sonis pia lingua filescit,  
Cui nuper Christum, & Mosen, diuosq; Prophetas  
Cantanti & rapidi torrentis more fluenti  
Inchyta Nestorei cedebat gratia mellis.  
Te duce sublimis nuper mysteria cœli,  
Et capita altarum pernouimus omnia rerum:  
Vt primùm è nihilo vastum produxerit orbem  
Omnipotens, vtq; huic virtus aqua creaunt  
Affuerit Natus, dio cum Flamine, cuius  
Prima rudem bonitas tepida ceu spiritus aure,  
Fouit humum, nec adhuc secretos æthere fluctus,  
Quos nunc cerulea Tethys amplectitur ulna:  
Vtq; hominem purum, ac fœda nil labis habentem  
Fecerit idem opifex; Quem de genialibus hortis  
Expulerit rabidi fraus insidiosa colubri:  
Vnde mali extiterit noua succrescentis origo,  
Tristibus inuoluens noxis, terrasq; polumq;  
Et maria, & genus omne hominum, genus omne ferarum:  
Ac ne precipites cuncti rueremus ad orci  
Damnati penam, & Stygia vada lenta paludis;  
Quam mirandus amor, quam sancti plena fauoris

C 2

Copia

Copia ab aetherea Christum descendere sede  
Impulerit fragiles humani corporis artus  
Indutum, cuius reparata sanguine pace  
Iungamur Superis rursum, purgataq; sorde  
Pectora nostra, nouam iam nunc spirantia vitam,  
Extenuata gerant veteris vestigia culpe.  
Præterea qua nam summi indaganda voluntas  
Numinis arte, suo lumen prepandat amicum  
Cultori, quid lex valeat; quæ vita probetur  
Autori rerum; quæ conscelerata furorem  
Facta illi moueant; scelerai manifissima quæ sint;  
Indigniq; pijs Christiq; propagine mores.  
Tum quæ sint sanctos liquido monstrantia cœtus  
Signa; quis in duplice duo symbola sacra figura  
Condiderit; quid Lympha velit qua tingitur infans;  
Quid ritus cœna exhibeat, quam nocte suprema  
Instituit Christus sacram mactandus ad aram.  
Plura etiam, quæ si comprehendere singula coner,  
Ante dies cœlo labetur, & humida curru  
Noctuago Phœbe medium concendet Olympum.  
Hei mihi quam magno reminiscor sâpe dolore,  
Quæ nuper festæ solennia tempora lucis  
Sacrabant homines, sacrabat munere lato  
Concio Christigenum totum diffusa per orbem.  
Tunc etenim miro lectorum pondere vocum,  
Quamq; prius longè vocalior ore canebas,  
Christus ut æterni flammantem numinis iram  
Pertulerit rubras exudans corpore guttas:  
Vt tunicam tabo teneros quæ induxerat artus  
Inficeret, lateq; nouas conspergeret herbas.  
Tum quales gemitus, paudo quas pectore voces  
Fuderit, horrifica tactus formidine mortis,

Imple-

Impleritq; vagis hortum & loca nota querelis,  
Exposcens cari numen genitoris opemq;,  
Campus ut ille, antrumq; pater, pater omne sonaret:  
Vt furys idem letho sit mersus acerbo  
Cognati generis, vt trunco ex arboris altae  
Suspensus seu audierit conuicia turbæ:  
Vtq; animæ latebras intorta cuspidi miles  
Sacratumq; latus, pectusq; recluserit illi  
Eliciens undamq; simul, mixtumq; cruentem:  
Vt moriens subito concusserit omnia motu  
Ille Deo genitus, trepidantibus vndique turbis  
Attonitorum hominum, supremaq; fata timentum:  
Ceu si terra graui strepitu mundusq; dehiscens  
Sideret, & magna connolueret astra ruina.  
Addebas vt tertia lux virtute superna,  
Morte triumphata supera ad conuexa vocasset  
Viuentem Christum, rigide de fornice rupis.  
Tum, cur non gelidi clausus sub mole sepulcri  
Debuerit corpus tetram dare vermibus escam,  
Et madidus carie membris cinis esse solutis.  
Cetera quid dicam? vel qua dulcedine ritus  
Gentis Iudeæ veteres memoraueris, ipso  
Quos tradente Deo Sinai in vertice montis  
Legifer accepit Moses, rerumq; sacrarum  
Ad seros incunda dedit monumenta nepotes.  
Inde hornæ pecudis cades, epulumq; paratum,  
Iunctus & huic epulo teneræ cibus annuus herbae,  
Quæ tamen os aliquâ sensu torqueret amaro;  
Qualibus inuolucris, tacitaq; in imagine certam  
Venturi speciem Christi, dulcesq; figuræ  
Prætulerint: Quid in his crates, quid conscius ignis,  
Quid vetitæ valuere moræ, baculij virorum,

C 3

Succin,

Succincti pedes, acidaq; carentia massa  
Munera sincera Cereris, sessusq; negati,  
Et limen clausum & signati sanguine postes.  
Hec tu cuncta pio nobis sermone retexens,  
O docto venerande, iterumq; iterumq; canebas.  
Cum tibi lanificæ legerent extrema Sorores  
Stamina, ceu pulcri fama est ad prata Caystri,  
Pangere funereum moribundos carmen olores,  
Argutumq; nemus modulis implere canoris.  
Scilicet ingeniumq; & mens præsaga futuri  
Tum tibi lustrabat radiantis mænia cœli,  
Migratura solo iam iam, atque aditura micantem  
Sydereo fulgore polum; nos ista fidelis  
Mente animoq; audiè tua dicta excepta tenemus:  
Quorum nulla dies unquam dum vita manebit  
Arguet immemores: his & cum fata vocabunt  
Ultima, cum gelidis animam seducere membris  
Mors volet, extremi spaciū solabimur enī.  
Tu nostris animis vindex, tu pectora nostra  
Criminibus fœda innumeris, & morbida lento  
Tabifuci squallore malū curare benignæ  
Artis ope, & miti assueras relevare medela.  
Mille vias noras sanandi, mille dolores  
Exiguae sapiens lenibas munere vocis.  
Non te alter Superum laudem, attentantibus illam  
Hæreticis, melior diuina voce tueri,  
Spinosaq; graues excludere lite Sophistas,  
Mæandrosq; doli, & sinuosa resoluere texta.  
Tu Franciscanæ quoties deliria lingue,  
Blandratamq; ferum, scelerataq; nomina gentis  
Vellebas sermone, oculisq; exposta videntum  
Monstrabas fidei temerata oracula nostræ;

Oſibus

Oſibus ardebas toris, pugnamq; ciebas  
Terribilem, rubra suffusus lumina flamma,  
Conceptosq; fatens minitanti fronte calores.  
Qualis ubi oppositum validus luctator in hostem  
Venit, & aduersam fixo pede pressit arenam,  
Immota ceruice manet, stringitq; lacertos  
Arduus atq; illi radiato lumine bina  
Scintillant acies, nigrescunt sanguine venæ,  
Et toto armiferum spirat de corpore Martem:  
Aut qualis fulgore nitet, cum Cynthiæ alto  
Prodit ab Oceano, iam diffugientibus astris,  
Et subito primos è carcere concitat axes.

Quid loquar infelix artes dextramq; potentem  
Horribicos etiam membrorum pellere morbos,  
Corporis & noxas medicis compescere succis?  
Bina hominem retinet vinclo natura tenaci  
Arctatum: Pars una viget, generosaq; cœlo  
Semina deducit diuinæ ab imagine lucis,  
Clara, micans, expers iunctæ cum pondere molis.  
Ocyor hec Zephyris & acuti fulguris aura est,  
Et sensus aciemq; fugit, perq; omnia seſe  
Cum voluit versans, celeri petit ardua motu  
Terrarum cœliq;, nec est obnoxia letho.  
Hanc opifex proprie libatam è lumine vita  
Fecerat, & socios compegerat almus in artus,  
Scrutarig; Deum, & patrys hunc querere in astris:  
Iusserat, e.g. vdo semper se tollere limo.  
Hac non perculta nutritur munere terre,  
Quæ dum ruricolis presso versatur aratro,  
Præ dulces misericordia fundit iustissima victus;  
Tum saliente grauem lympha suauiq; hyæo  
Indocilis cohibere fitim: te maxime solum.

Christe

Criste petit, semperq; tuos suspirat amores,  
Atque honorum ardet partem se ferre tuorum.  
Altera lenta gerit liquentis pondera terre,  
Puluere quondam formata è fragmine massa,  
Et tenui flamma, sensuq; animata sagaci.  
Additus hanc placidus feroibus vuidus humor  
Sustinet, arentes grato qui nutriat artus  
Fomento, & teneris det mitia pabula flammis.  
Non aliter durare genus, nec membra tueri  
Mutua cum dulci possent consortia vita.  
Sed graue peccatum & vetitis è fructibus esca,  
Hos primum infecto succos corrupit Adamo,  
Corrupti, Stygijq; viam patefecit Auerni.  
Hinc macies, & vis morborum immensa malorum,  
Quæ vitam oppugnat, quæ tristi tabe medullas  
Vexat & è nostris elidit robora neruis,  
Acceleratq; necem, primosq; intercipit annos.  
Non tot Sicanij fluctus tolluntur in undis,  
Cum fera commorunt discordes aequora venti;  
Non tot aues liquidas penna nituntur in auras  
Squamigeris neque tot freta piscibus alta natantur:  
Quot genus hoc miserum febres, tormentaq; diris  
Exercent, cruciantq; modis: ita seu Minores  
Prime parens ò Adame tuos iam pæna fatigat.  
At tu tam miseri generis miserabilis autor,  
In patriæ gremio recubas telluris, & ossa  
In cineres iam versa suos, secura malorum  
Tantorum gelidis retines inclusa cauernis.  
Nos tua progenies supera qui vescimur aura,  
Et lucentis adhuc cœli conuexa tuemur;  
Impositi noxam tibi vulneris, ulcera pestes  
Sentimus, nihil humana sorte esse per orbem

Deteri.

Deterius, nihil esse potest imbellius unquam.  
Quin etiam cuius cœlestis claret origo,  
Mens animusq; sicut qui dulci corpora vita,  
Affectas vires, sociaq; incommoda molis  
Persentit, motuq; carens directa petente  
Fertur in obliquum: Veluti cum s̄aepē videmus  
Raptari in medio fluitantem gurgite pinum,  
Cui crepitant latè percissa ferocibus Euris  
Linteas, nec laſa possunt durare carina  
Thräicij furias Aquilonis, & horrida nimbis  
Flamina: tum gelidum fassi pallore timorem  
Permisere ratem ventis, nec cœrulea nauta  
Iam feriunt remis vada, nec meminere viarum:  
Sic animus fidis qui corpora nostra regebat  
Imperijs nutat defecto robore, nec iam  
Frena tenet, manibusq; omnes effudit habens.  
Sed tamen hos morbos atque internuncia lethi  
Agmina, quæq; animum, quæq; agros corporis artus  
Infestant, leuat aetherei pia cura parentis:  
Qui rebus tulit afflictis interprete Nato  
Auxilia, æterne precepta salubria vite  
Ipse suo scribens digito, sanctisq; virorum  
Per medias hominum tradens resonanda cateruas.  
Illos non aliter mortali germine nati  
Audimus, Superum cunctos ad regna vocantes;  
Ipse pater quam si claro delapsus olymbo  
Cœtibus in nostris sacrata resolueret ora.  
Esse alios voluit, qui languida mitibus herbis  
Corpora, qui medicis artus firmare labantes  
Fomentis possent pariter quos voce seuera  
Ipse colli iussit, magnoq; in honore reponi.

Horum te Dominus, rerum cui summa potestas,

D

Vite

Vite parens, in utroq; volens excellere, dotes  
Tradiderat geminas. Tu quantum munere vocis  
Aethereæ mentes morborum insultibus ægras  
Sanabas; tantum sapientibus ægra medelis  
Corpora. Te nemo solertior atra morari  
Funera, & urgentes Parcarum stamine pullo  
Exorare colos, extremaq; tempora lethi  
Proferre, & viridem membris renouare iuuentam.  
Multi semineces, multi quos luridus Orcus  
Iam gelida tingebat aqua, quibus omnia circa  
Mortem ostentabant sœnam, tenebraq; natabant  
Ante oculos; valuere tamen non tempore longo  
Te medicas adhibente manus, & tabe fugata  
Longa aspicerunt reparata munera vite.  
Rara diu furuis inferni corpora lucis  
Mirata est Hecate, nec campos feruere turbas  
Tartareos; vnaq; diu cessante carina  
Infernus Stygia sedit sub arundine remex  
Ocia agens; terrisq; aliquem Chirona putauit,  
Aut Phœbo & nymphæ rediisse Coronide natum,  
Aut ipsum Phœbum, carumq; Machaona Phœbo.  
Omnia tu sapiens naturæ arcana tenebas  
Et longam seriem caussarum, adiuncta q; causis  
Euenta, in mistis nunquam cessantia rebus,  
Quas vagæ cunq; videt subiectum luna per orbem:  
Quatuor in nobis quali pugnacia vinclo  
Iuncta suum possint seruare elementa tenorem,  
Pace nimis mira, cum flamma humentibus undis  
Luctentur, pugnet terris agitabilis aëris:  
Qualibus hæc soleant animantum corpora succis  
Et venas implere cauas, qui ritè meantes  
Spiritibus foneant terrena pondera molis.

Aridus

Aridulisq; grases defendant osibus astus.  
Tum si quæcaffa hos viciauerit, unde vigorem  
Accipiant nerui, rediuaq; robora ducant  
Saluistica Superium concessis pace medelis.

Tu noras medicas præbentia grama vires  
Quæ tellus immensa creat, qua rupibus altis,  
Quæ fluvijs gaudent, stagnisq; liquentibus, & quæ  
Abstrusa radice cauent assurgere in auras.  
Noras Pelaco stirpes in vertice natas,  
Et quas magnus Eryx, quas alta cacumina Cynthi,  
Quas umbrosa ferunt Tempe, quas Pindus & Ossa,  
Quasq; tenet gelidum Rhodope porrecta sub axem,  
Oetaq; & aërijs inserta nubibus alpes,  
Parnassusq; biceps, quiq; athera sustinet Atlas,  
Virgineusq; Helicon, & Menalus Arcas, & Ide,  
Dyndimaj & Mycale, cum pinifero Erymantho.  
Sed nullæ & riguis quas seruant flumina ripis  
Noticiam fugere tuam, quas margine curuo  
Educat Apidanus, vel quas Peneides unda,  
Eurotasq; Lacon, Phasis volucerq; Caycus,  
Thermodoonq; rapax, Xanthusq; Tagusq; Melasq;.  
Quiq; citas dubijs exercet flexibus undas  
Maandrus, Tanaisq; celer, canusq; Lycormas,  
Alpheusq; simul vagus, argutusq; Cayster,  
Euphratesq; grauis, septenag; flumina Nili.  
Tu suavis patriam Costi, & Gangetica nôras  
Littora, Medorumq; nemus, Panchaag; rura,  
Extremiq; sinus orbis, ubi decolor Indus  
Phœbeis urgetur equis, estug; propinquo  
Inficitur faciem, fulua gens diues arena.

Tu quo Pœonias animum coluisse per artes  
Et patrias posses celeberrimus esse per oras;

D 2

Tentoni-

Teutonicas primum sedes, post arua remote  
Lustrasti Ausonia, longarum ingrata viarum  
Tedia & immensos non deficiente labores  
Euincens animo. Tu quicquid nobile chartis  
In Latij Graesq; fuit, felicibus ausis  
Tentasti penitus, penitusq; exhausta, profundo  
Pectore & ingenij loculis deponere fidis.  
Oenotrios etiam fines, ditiissima regna  
Romulidum fando nobis audita, grauesq;  
Imperijs terras, Ithaci cognoscere ritu  
Curasti; haud segnis per multa pericula rerum  
Seu pedibus terram, seu pontum carpere remis,  
Sicubi celsasset quicquam spaciofa vetustas  
Egregij, si qua illorum regione locorum  
Gens antiqua virum, vel non indigna videt  
Mænia, vel prisci mores, monumentaq; legum  
Vel celebrata forent animosi munera Martis.

Ergo Medoaci campos, Patauinaj, rura  
Vidisti, medijs quæ quondam elapsus Achiuis  
Antenor profugos posuit tellure penates:  
Inde Henetum populus medio quam condidit urbem  
Gurgite, cum Ligurum sedes, urbesq; propinquas  
Vreret Hunniacus trepidandis Attila flammis;  
Attila, diuini specimen pertriste flagelli,  
Attila, quem Tenton, quem gens Mauortia Galli,  
Et late Adriaci tremuerunt littoris ora:  
Romanas etiam libuit visisse ruinas,  
Et Capitolinas sedes, Tarpeiaq; saxa,  
Septenosq; simul colles, & flumine lento  
In mare currentes vicini Tybridis undas.  
Inde sed egressum te Thusca Bononia vidit  
Hospita Pieridum, & flana pia cura Mauerue,

Tegj simul sensit Musis, & Apolline dextro  
In studijs sudasse bonis, laticesq; bibisse  
Castalios; viridi præcinctum tempora Lauro  
Atque etiam meritis doctrina insignibus auctum,  
Ad patriæ celebrem felicia rura remisit.  
Hic tu Vite Pater medicina clarus utraq;  
Et que non sanam mentem, & quæ morbida curat  
Corpora, Pannoniam non longo tempore magnis  
Implesti meritis: Cunctos tibi sola iuuare  
Cura fuit, fido tu cunctis pectore, nullis  
Addictus precijs, vltro prodesse volebas.  
Vtq; auium est motas agitare per aëra pennas,  
Remigioq; leui cœli sub nubibus altis  
Radere iter: veluti squamofo corpore pisces  
Illud habent proprium vitrei per fluminis undas  
Nare, vagosq; suo proscindere pectore fluctus:  
Sic cunctis prodesse tuum fuit. o decus ingens  
Humani generis, felicibus edita fatis  
Progenies, quæ te tam saui numinis ira  
Eripuit terris? Quis erit qui languida nobis  
Corpora Apollinea percuret doctior arte?  
Quis sapiens nobis morum præfectus, honesti  
Autor, & instruclus mentem cœlestibus armis  
Pastor erit? Quis Pieridas curare sorores  
Mitibus hospitijs volet? o quo indice tandem  
Præmia cantantes referent se digna Poëta?  
Te nitidi colles, te pascua lata, nemusq;  
Te gelidi montes, habitataq; rura Camænus,  
Te deslent vdis declinia flumina ripis.  
En modò qui tenui longè contractior alueo  
Incessit, tacito decurrens Bodrogus amni  
Vndique pellucens, postquam te fata tulerunt

Increuit lacrymis, & iam per amena vireta,  
Frondiferasq; domos auium, segetesq; viasq;  
Præcipitans fertur, sonitumq; per auia torqueat  
Turbidus, & faciem limo fædatus honestam,  
Omnia nequicquam clamoris vocibus implet.  
Mollis in irriguis te fleuit amaracus hortis,  
Ambrosiæq; etiam virides, violeq; thymiq;  
Purpureaq; rose, immortalesq; amaranthi,  
Dictamni casiæq;, & qui lugubre sonantes  
Litterulas hyacinthus habet; te maxima sylua  
Heliadum, & dura in secretis saltibus orni;  
Te rigida inflexo fleuere cacumine quercus.  
Nos quoq; deflemus nostros tua funera casus  
Vite decus patrium, nostris spes unica Musis,  
Pannonia sydus; te nobis omnia rapto  
Non aliter squalent, quam si Sol altus Olympo  
Exciderit densis infecta luce tenebris.  
Nunc verò siccasq; genas faciemq; serenam  
Qui gerat, & lacrymas vdo non lumine fundat;  
Illum ego vel credam duro præcordia ferro  
Juncta, vel indomitum chalybem suo pectore habere:  
Illum aut Hycana bruta inter inertia tigres,  
Aut sola sub rupe truces peperere leane.  
Nos altos multo tenuari tempore luctus  
Sentimus, vigiles sed de te incendere curas  
Longa dies nobis iam iam incipit, anxiamq; altus  
Corda dolor tundens nullo cum fine fatigat.  
Non ita preclaras dotes & munera diuum  
Quæ tecum nuper possedimus, undiq; rectis  
Indicijs miseri pensauimus: illa repente  
Quod desiderium nobis mouere relicta?  
Qui gemitus? quæ cum lacrymis suspiria surgunt?

Scilicet

Se licet ut stomacho membrisq; valentibus usus,  
Cui capitis feruor, cui nunquam laugida febris  
Nota fuit, vulgare bonum valuisse putauit,  
Et semper placidi sanum post munera somni  
Surgere, & assuetis operis iam sole reducto  
Exercere diem, & quorum vitæ indiget usus  
Quærere: Si rigor huic unquam, si nausea tristis  
Incidat & tabes populetur lenta colorem;  
Ostibus horreſcit totis, epulasq; recusat,  
Immitesq; ferens sudanti corpore flammæ  
Aestuat infelix, & fauibus ardet anhelis,  
Nil iuuat, occultus neros dolor urget inertes,  
Feruidaq; arenti torret sitis ora palato;  
Tum verò fuerit quid robur, & integer eui  
Sanguis, & in pleno turgentis corpore venæ,  
Persentit, veteresq; gemens reminiscitur annos:  
Sic tu care parens fermè dum vita manebat,  
Ignoratus eras nobis, sua nec bona mentes  
Ingratae precijs poterant expendere iustis.  
Discimus ab miseri haud longo post tempore tandem  
Qui faueris, te sancta domus, te mæſta piorum  
Agmina, te tristis facies pernobilis aule,  
Squalida doctarum poscunt te tecla dearum.  
Teq; simul diram maciem & mala tormenta passi  
Cum gemitu lacrymusq; & lucido ſono singulu  
Respectant, pariterq; oculis, animoq; requirunt.  
Tu nuper fidis solers medicatibus illos  
Curabas, meliora decens, quo corporis ardor  
Cederet expulsus victu, qua motus ab arte  
Ecute suprema exudaret inutilis humor,  
Quæ res succorum spiramina cæca malorum  
Laxarent, ut tentati feruore maligno.

Humeclum

Humectum stomachi possent seruare tenorem.  
Ast ubi seu dies te funere mersit acerbo,  
Impunè horribiles morbi grassantur, & atris  
Corripiunt audi manibus iuuenesq; senesq;,  
Et puerum florem, & tenera lanuginis annos.  
Vixdum etiam nuper miseri tua busta profusis  
Fleramus lacrymis, cum Pesthius indole sancti  
Nobilis ingenij letho est demersus acerbo:  
Pesthius Aonidum cultor, quem florida pulcrum  
Ornabat facies, nec sexti tempora lustri  
Attigerat, prima nunc flauens ora iuuenta.  
Et (quod miremur) quæ lux te Vite sepulchro  
Intulit, illa eadem lecto hunc afflixit, at ægrum  
Septima post cassum vitali lumine vidit.  
Mitto alios, quibus ars postquam tua defit, ad vdos  
Respetant tumulos, atque horæ fata suprema.  
Nec requies est vila mali; spes nulla cadentes  
Solatur, mussat tacito medicina timore.

Crudeles Paræ, quæ vos tam dira mouebant  
Consilia? Ah miseros quam sauis cladibus ultæ  
Pannonas? Heu nusquam fando exaudita per orbem  
Inuidia: afflictis sanctos eradere terris,  
Atq; nouis vastos fines vastare ruinis,  
Inq; dies, altos alijs cumulare dolores.  
Non vos quisquias hominum, non vilia magna  
Pondera telluris, non corripuitis atroces  
Eversæ pestes patriæ, crudosq; tyrannos:  
En scelerum artifices restant, restantq; cruenta  
Quæis coguntur opes; qui nil nisi viuere rapto  
Dulce putant; qui rem ciuili sanguine conflant,  
Continuantq; audi cades; En vescitur aura  
Aetheria venter summum cui numen habetur;

Vescuntur

Vescuntur quibus haud ulli cælestia curæ;  
Qui temere & nullo credunt rectore moueri  
Astrigeros orbes: etiam qui corde bilingues  
Secreto, incautis pestem meditantur amicis;  
Quorum tabificum virus, fraudemq; latentem  
Insidiosa tegit ficti constantia vultus,  
Cui magis haud tutò fidas, quam nauita fidit  
Flatibus austrinis surgente Orione, quamvis  
Clara nimis cælo fulgescant signa sereno,  
Subdolaq; inuitet placidi fallacia ponti.  
Illi etiam superant, qui sacra oracula verbi  
Ad questus adhibent fædos, auroq; reposito  
Incumbunt, mentisq; inopes, inopesq; pudoris.  
At qui non ficto coluerunt peccatore diuos,  
Quæis Christi decus & cælum fuit unica cura,  
Et qui perspicuè ad mortalia commoda nati  
Nil rapuere sibi, vobis rapiuntur, & altas  
Iam strages horum toto struxistis in orbe:  
Nec pudor aut pietas immittibus oblitus ausis.  
Ac veluti irato venit cum squalida cælo  
Arboribusq; satisq; lues, aut horrida grando:  
Sternitur alma Ceres tristi rubigine, iamq;  
Aut immaturos pomis deturbat honores  
Africus, aut folijs fici spoliantur, & arbos  
Ut quæq; est generosa, comis fructuq; decenti  
Exuitur: sed non spinis palinurus acutis  
Interèa, duroq; filix inuisa colono  
Damna facit; parcit saui inclemencia cæli  
Vrtice, lolioq; simul, gelidusq; cicutis;  
Præterit & montes intacta aconita per altos,  
Nec taxi aut salices usquam violantur amarae:  
Sic etiam vulgo grassans sors aspera lethi

E

Inua-

Inuadit meliora manu, nulloq; pudore  
Corripit, ingrata & cunctis inuisa relinquit.  
Discite nil meritis crudeles parcere Parcae,  
Discite, nec dignos spatiose munere vitae,  
Indignosq; homines nullo in discrimine habete.  
Sed nos quid querimur Parcarum immitia iura,  
Crudelesq; colos & inexorable pensum?  
Nimirum haud ille tales, tam lata per omnem  
Regna tenent mundum, non ha noua condere fata,  
Nec magni mutare valent decreta Tonantis.  
Sed peccata hominum tam tristes impia pœnas  
Commeruere, haud tam præclaro munere diuinus:  
Dignus eras Pannon; & adhuc deponere cessas  
Pratumidos fastus? non in discrimine tanto  
Sollicitum propria te cura salutis habebit?  
Hic stupor, hic lethi similis mihi crede veternus  
Dedecet afflictos; Stertunt quos nulla fatigat  
Terrifico res dura metu; quibus acrius instat  
Vis mala, desidiam vigiles, atq; ocia linquunt,  
Et sua solliciti vitare pericula curant.  
Tu neque desidiam miserande, nec ocia linquis,  
Nec tua solitus vitare pericula curas:  
En etiam suaves epulas, coniuia, lusus,  
Et lætos sectare iocos, & dulcia rides,  
Rides, nec proprij sentis sera termina morbi.  
Crede mihi in luctum mox desinet ista voluptas,  
Sardoaq; erit hic tibi risus amarior herba,  
Improba que miseris admiscet gaudia fatis.  
At si quid melioris habes in pectore sensus,  
Vndiq; tot stimulis nunc te fodientibus oro  
Excute desidiam, securaq; gaudia pelle:  
Erige iam mentes, ad operasq; lumina somno,

Et qua

Et qua sis positus tandem regione locorum  
Respicere, Nineosq; dolens reminiscere saccos.  
Ni facis; extorrem regnis te pellet auitis  
Omnipotens, facietq; tux te sedis egentem;  
Nullaq; te vincet miserande nomine sorte  
Gens hominum, vaga quam subiectas cura, per oras  
Luna videt, quam sol radianti lustrat ab aere.  
Nam quo te referes? Nam que tibi terra patebit  
Finibus excluso patrijs, noua regna petenti?  
Num latus occiduum mundi, num cernis Eoum?  
Cernis: Sed scelerum belliq; immune cruenti  
Nec latus occiduum mundi, nec restat Eoum.  
Nonne vides quantos circa vicina tumultus  
Regna mouent? iam nunc turbatis fluctuat undis  
Sithonium littus, iam barbarus Helleponthus  
Bella parat, rabiemq; fremunt discordibus armis  
Russiq; Moschiq; securigeriq; Poloni;  
Nec pacata manet Boreali subditæ cælo  
Gens, quam cursus equi, tortisq; implexa flagellis  
Dextra iuuat, soliteq; iaci post terga sagitte,  
Arcusq; & latos errantia tecta per agros.  
En quota felicis patriæ pars integra nobis  
Nunc superat: tenues certe vix prendimus oras  
Paoniae veteris: Quis iam tot funera nostra,  
Quis numeret clades? Ah iam, Pater optime fuso  
Sanguine, quos amnes, quos non infecimus agros?  
Quod nisi supplicibus cælestia numina votis  
Poscimus, & Superum lenimus fletibus iram  
Non aliter miseri patrijs pellemur ab oris,  
Quam populi Abramidum, Latij monumenta triumphi.  
Prima mali sese iam dudum ostentat origo,  
Iamq; moram res arcta negat; iam dira bipennis

E 2

Degene-

Degeneris certè radicibus addita trunci est.

At te, Vite pater, radiantis culmen Olympi  
Nunc retinet, carpis cœlestis premia vita  
Pacem agitans, nulloqz interpellata dolore  
Gaudia; nunc fructus, nunc multa impendia rerum,  
Nunc precium exhausti mansit dum vita laboris,  
Et late redeunt cumulato fœnore messes.  
Cùm libet, eterni frueris sub luce corusca  
Numinis alloquio, patriæ fastigia dextrae  
Seruantem recto contemplans lumine Christum.  
Hic etiam patres, quorum viget inclita fama,  
Hic etiam Heroas, natos melioribus annis  
Abramum Noachumqz vides, Isacumqz Lothumqz  
Iesiamqz pium, luctatoremqz Iacobum;  
Vocalisqz adeò celebrem de carmine plectri  
Dauidem & Iosuam sanctum, & Salomona potentem:  
Cernis & Elisam clarum Elisæqz sodalem,  
Quem pater omnipotens inter caua nubila quondam  
Flammifero curru cœlestibus intulit oris.  
Hic te non gemitus, nec edentes pectora cure,  
Non mala formido, consternatiqz timores  
Attingunt, nullis trepidas iam motibus, omnes  
Existi casus, morbos iam despicias omnes.  
Nulla tuos unquam ledent contagia vultus,  
Non rosei vitium metues, labemqz coloris,  
Hinc tua non ullos ostendent tempora canos,  
Nec tibi rugosa pallebunt ora senecta.  
Tu nullas hominum furias horrescis, & atrox  
Quos mouet assidue nobis Bellona tumultus  
Negligis; inuidia rabiem, fraudesqz malignas,  
Nil metuis; Mentem ingratam, & leue pectus amici,  
Cateraqz hand curas miserarum termina rerum.

Vt nu-

Vi nuper dubijs iactatus nauita ventis,  
Qui paruo tenuit lethi discrimine vitam,  
Infelixqz, diu cœcis errauit in vndis,  
Cum venit ad portum gaudet, terraqz potitus  
Mox sale concreto tabentes excutit artus;  
Vela cadunt, vdo fessam tenet ancora nauem  
Littore: Sic tu nunc vita meliore receptus  
Vite pater gaudes, nos flendo ducimus eum.  
Iam tu sydereas sedes, fulgentia regna,  
Et decus eternum, & non enarrabile lumen  
Incolis, & lustras spaciose mœnia cœli,  
Artificem admirans: iam prono cernis ocello  
Subiectum pedibus solem, stellasqz micantes,  
Lucentemqz globum luce, niueoqz sub astris  
Signatam candore viam, Zonasqz patentes,  
Frigoribus geminas, unam feruoribus ustam  
Aethereis, placidasqz duas, & lenè tepenteis.  
Spectas & rutilis armatum Oriona flammis,  
Oppositosqz polos, immunesqz æquoris arctos,  
Anguineosqz simul flexus, pigrumqz Bootem,  
Erigonen, Chelasiqz & Cressæ signa coronæ.  
Scrutarisqz etiam sapienti pectore, magnus  
Quot per signa suum Titan percenseat orbem;  
Annuus ut redeat nobis, terrasqz reuusat,  
Quas summa ab regione Aquilonis flamina pulsant:  
Vtqz ad eas iterum brume per frigora cedat,  
Quas mitis flatu permulcat spiritus Austris:  
Vtqz etiam, medij cum stat sublimis Olympi  
Cardine, nocturnas exequet lucibus horas.  
Hæc te Vite pater discentem eterna voluptas  
Percipit, haud placide turbantur gaudia vita  
Tristitia, aut aliquo subitarum turbine rerum.

E 3

Tu semel

Tu semel ô felix lutearum tecta domorum  
Temisti, & liquido percussis aëre pennis  
Mutasti patria sedes meliore caducas.

O niueam, quæ nos poterit tibi iungere, lucem:  
O niueam lucem; quæ multo quassa dolore  
Pectora, quæ fractas vario discrimine mentes  
Eripit terris, rumpetq; repagula mæsti  
Carceris, atque agros vita meliore beabit.  
Cum faciem lati, tuaq; ora tuebimur omnes;  
Nostra etiam posita requiescent ora querela.

At tu summe pater, tu rerum æterna potestas  
Cui tellus immensa Deo, cuiq; ardua parent  
Sydera: te petimus dubijs ne defice rebus,  
Accelera fer opem, & mæstos solare dolores,  
Accelera, & casus releua mitissime nostros.  
Cur ô cur adeò donis felicibus orbas,  
Affligisq; solo miseros, omniq; decore  
Pannonas euertis? te nos veneramur & unum  
Te prece, te votis colimus, vanosq; per orbem  
Detestata Deos solum te pectora nostra  
Agnoscunt Dominum, metuunt, reverentur, adorant:  
Nec lapides iurare aut pondera inertia truncū  
Sueuimus, aut duro stantes ex aere columnas.  
Aspice nos oculis tandem, pater alme, benignis,  
Totq; malis fessos miti complectere dextra.

Sed pater hæc audisne? pater propriusne reuoluis?  
Anne fugis? atq; hæc non pondus habentia magnum  
Dicta, vagis pereunt nequicquam credita ventis?  
Sic certè est, nec tu votis penetrabile nostris  
Peculus habes: adeò crudelem crimina nostra  
Te faciunt. Spes certa tamen, mansura per orbem  
Terroris inter varios, interq; ruinas

Semina

Semina Christe tuo reparati sanguine cætus,  
Relliquiasq; pŷ generis: nec longa tenebit  
Te mora, Nata Dei, & iam iam caua buccina rauco  
Emittet clangore sonum, gelidisq; resurgent  
Corpora de tumulis, artus induta priores:  
Ut nunc puluere& promit se è viscere terre  
Molle caput plantæ, placide mulcentibus auris,  
Sucrescitq; virens, nec longo tempore sese  
Induet in florem, & mites spirabit odores.  
Exuuijs hic Vite, tuis cineriq; sepulto  
Interea secura quies, monumenta beata,  
Grata domus, faciles somni placidumq; cubile  
Et leuior lapis & nullo sit pondere terra.



EPITÆ

# EPITAPHIVM EIVSDEM D. IOANNIS VITI BALSARATII.

**H**ύτε καλλιόμη χλωροῖς ἔτι μηλέα καρποῖς  
ἔξεπεσερ, βορρᾶτῷ κατέσεισε βίκ.  
καὶ σελέχει κλινθέσα καταρρήχθέντι χάμαζε  
γάμαρ ἐε ἐυρεῖσι μῆλα κατεσκέδασερ:  
οὐτῷ βῖτῳ ἐπεὶ τέθυνθεν ἀσκεῖ πότμῳ  
καρπαλίμωρ, φοίβοις ἀνέσιμῳ θεράπωρ,  
οὐ σμίκροις αὐδρώποις πᾶσιν κατὰ πένθεα λείπωρ  
ἀθάνατορ πάτρῃ κῆδῳ ἐφημόσατο.  
Αἴλινα πιερίδες βίται σοναχέτε πεσόντῳ  
ηγή πλοκαμον τρίται παννονίς αἴτια τεόρ.  
Νῶν ὁ τεός φοίνιξ ἐλιπερ φάσῳ ἡελίοιο:  
Νῶν σε τεός φοίνιξ κάλλιπει διχόμενῳ  
τῷ γε ἐπὶ νῶν σίλεσορ ἀγαθή φάτις ουρανοῦ ἐλθε,  
τὸν χερσὶ κρατερῷ οἵρπασε μοῖρα κακή.  
Οφρὲ ἐώ αμικχανί μη σοι θέλγητρα γένυοιτο  
βλαφθείσῃ συγερῆς πήλιαστι βαρβαρίκῃ.  
Οφρὲ ἐώ αμικχανί ηγή παντοδάποις ἄτησιν  
χείρων θατέης πάσιν θηδε τεό.  
ἄχκσαι πάννωρ δύρικλυτε νῶν ἀλεωρά  
σοι μοώκ πέλεται: πρόξενομ ἀντύρ οράρ.



τὸς αὐτῷ

τὸς αὐτῷ ἐπιταφίς μετάφρασις.

**P**vlra velut nondum maturis fætibus arbos  
In præceps Borea deïciente cadit:  
Quædiffercta premens effusis brachia pomis,  
Pulueream mæsto vertice plangit humum:  
Sic moriens, nimium properato tempore, VITVS,  
VITVS Apollinea maximus artis honos,  
Ingenti patriam cumulauit strage ruentem,  
Et misera genti tristia damna tulit.  
Pieridum lugete chori, lugete Camæna,  
Et scissis lacryma Pannonis ora genis.  
Ille tuus, nunquam reparando funere, Phœnix,  
(Heu lacrymæ) Phœnix occidit ille tuus.  
Quem modò florentem generosa munere laudis  
Eripuit gremio fors inimica tuo:  
Ne foret, unde tui peterent solatia casus,  
Barbarico mœrens dum premerere ingo.  
Ne varias clades, atq; horrificas erumnas  
Esset Pœonia qui relevaret ope.  
Nil opus humanae superat: nunc inclyte Pannon  
Quod reliquum est, vni fidere disce D E O.

Vnici parentis literarum sanctiss. manib; grati  
animi testandi ergo, P. Berexasius  
mœrens dedicabat.



F. EPITA-

EPI T A P H I V M  
D N . IOANNIS VITI  
BALSARATII VIRI CLARISSIMI  
ac in vtraq; Philosophia diuina & humana Do-  
ctoris excellentiss. Scriptum à

P E T R O A L B I N O M.

HAC conditur sub mole BALsaratus,  
Vicina quem Marusio & Chrysæ tulit  
Tellus, ubi olim Pannones duri & Getæ,  
Nunc Vngari sedes habent fortissimi.

PHæbi tenellum IVL A alumnū literis  
Primò imbuit beneficio IAXithie.  
Euangelii inde cum renascentis suam  
In patriam pia semina Heros DRAGfius  
Plantarier curauit; ERdöda illico  
Patrona commendauit hunc Copacio,  
Qui liberalium artium & (caput quod est)  
Synceroris religionis inclita  
Scientia instruxit, deinde puberem  
Lingua poluit duplice, ut tandem schola  
PATachiensi operam nauāri strenuam.

Mox Leucoris Lycea prima frondibus  
Carum MELanthoni decorauit laurea.  
Inde Itala ora claro in arte Paonis  
Rubram dedit tiaram, & ad PERenium  
Multæ remisit cognitione nobilem.  
Ergo expetita patriæ offert munera,  
Multosq; præsenti periculo leuat,  
Pluresq; fauce hiantis Orci liberat.  
Tandem suæ vita Deo partem optimam  
Sacrans ad inchoata studia reuertitur,

Scientiamq;

Scientiamq; corporis agitudinum  
Mutat leuandarum, medicina alia, & quidem  
Præstantiore multò, anima quæ languida  
Cura occuparetur. Beata ò sunt vices  
Laudabilesq;: Nam quid est preciosius  
Anima? utq; corpus illa vicit putridum:  
Medicina sic cœlestis alteram præit.

Quæ commoda ex mutatione ista status  
Peruenerint vita Viri istius ad Scholas,  
Ecclesiamq; nemo verbis efferet.  
Id Vngari gratis vehunt sed laudibus,  
Plorantq; Patrono carere te suo  
Nunc rapto ad astra, quò vias ostenderas.  
Præ ceteris sed FABRicius carissimum  
Praconis amicum honorat candidis:  
Vrnamq; prosequitur parentis optimi  
BERGXASIVS nunquam morituro carmine.

At tu, solutus carne qui iam lubrica  
Mortalia hæc cœlesti ab arce despicis,  
Viue ò decus perenne Pannonicī soli,  
Vale ò scholarum præsidium atque Ecclesiæ,  
Viue & vale, æternisq; salue seculis.

ALIVD EODEM  
AVTORK

HIC BALsarati sunt condita membra Iohannis,  
Nobile cui VITI nomen & omen erat.  
Nam scelus & vitium VITabat strenuus osor,  
Regula erat monstrans VITæ virtusque viam:  
Mortalem nōrat queis prolongare liceret  
Artibus; aeterna, qua ratione frui.

F 2

Ergo

Ergo viroque animas inuidit faucibus Orci,  
Reddidit & VITÆ languida membra, modo.  
Et nunc aeterna traducit tempora VITÆ,  
Quà Pater & soboles regnat, Amorq; sacer.  
Imò etiam VITÆ nunquam moritura fruentur  
Munere per terras nomina perpetuae:  
Nam labor & Virtus fama sunt digna perenni,  
Et vetat hac ullo tempora Musa mori:  
Tum Deus inscribit iustorum nomina cedris,  
Nomine quo tu etiam VITE superstes eris.

F I N I S.



MEDOCIVIA

titar

VEGE.